

dominum Angelorum *Venetum* [a] in patriarcham Constantinopolitanum ordinavit, et ordinandi archiepiscopos et episcopos per Graeciam totam ei potestatem concessit. Interim, nominatus imperator cum fere domuissest Graeciam, Iohannes dominus [b] et princeps Blacorum [c], praeſio et præcibus Alexii quondam falsi imperatoris, qui ad ipsum profugerat, imperatori et Latinis semper rebellis extiterat; post multa itaque et maxima prælia, quæ cum eo imperator commisit, in quibus semper per gratiam Dei obtinuit victoriam [d], contigit una dierum, quod idem imperator in bello maximo innumerabiles Blacos et Turclos [e] interfecit, et post nimiam fatigationem [f], cum ad suasum suorum cedere nollet, quod est miserabile dictu, captus est ab inimicis atque interfactus [B]. Post maximum quoque fletum et plantum, quæ Latini pro tanto viro et domino fecerunt, sperantes Henricum nomine, fratrem defuncti domini sibi in sapientia [g] et moribus posse succedere, ipsum cum principibus Graecorum in imperatorem elegerunt; quæm fide catholica plenam in omnibus et per omnia fratris vestigia non piguit sequi [h].

(*Quando Faventini [i] succurrerunt Caesenatibus, ob discordias inter Rainutium Scoreii et Garatonem enatas periclitantibus.*)

CAP. CXXIII.

Pare,
ib. gr.
wh.
alv. T. 1.
ta brevi
Tonius gr.
Cum draco serpens ille antiquus, qui semper circuit quem devorare possit, magnam citatus in iram, in civitatem Cæsenensem dilapsus, suo instinctu inter Rainucium Scorcii et Garatonem sua semina jactasset [j], predictus Garaton volens proprias vindicare injurias, Ariminum se contulit, et una cum eis [k] Cæsenam veniens, eam cepit et a castro inferius partem magnam combusit. Sub anno Domini MCCIII in mense Octobris [l], hoc Faventini audito et visis literis cum nuncio, curis postpositis, eis illico die eadem circa horam nonh> iter acceperunt festinanter et apud Monticulum [m] pernoctarunt. Illico, cum intellexerunt Ariminenses Faventinos Cæsenatibus succurrere, pavore concussi maximo recesserunt velociter. Faventini vero civitatem subintrantes, acriter, a parte [n] utraque xx acceptis opsidibus, et illos predictos jusserunt duci Faventiam, et eam propriis custodierunt sumptibus, donec ad pacem devenerunt plenariam.

[a] *Angelo. um venetum.* Sic legit cl. Mitt. In C. M.; est *Anglor.* et in C. V.; *Anglorum.* — [b] *Iohannes dominus.* Sic Codd. Apud alios scriptores dicitur *Ioannicius.* — [c] *Blacorum.* Sic Codd.; sed plerunque ceteri scriptores scribunt: *Blachos* et *Blachorum* etc., vulgo *Bulgari.* Vid. *Annal. Murat.*, ad ann. 1204 et 1205. — [d] *obtinuit victoriam.* Sic supplevi. — [e] *Blacos et Turclos.* Sic legerem. Nam C. M., habet *bracos et tclos.* Codd. vero *Viar.*; *bracos et sclos.* Pro *Turclos*, legi posset etiam *Sclavos* vel *Traces.* — [f] *post nimiam fatigationem*, C. M.; *præ nimia fatigatione*, C. V. — [g] *sibi in sapientia.* Auctor saepe utitur voce *sibi*; pro illi. — [h] *non piguit sequi.* Supplevi *sequi.* — [i] *Quando Faventini* etc. Totus hic titulus adjectus est, cum decesset in Codd. — [j] *semina jactasset.* Sic cum Cl. Mitt. corrigo. In C. M.; *semina jactans*; in C. V., *semina jacens.* — [k] *eis:* id est Ariminensibus. — [l] *mense octobris.* Deest *octobris*, in Codd.; sed supplevi ex *Tondutio.* — [m] *Monticulum:* forte quod vulgo dicimus *Montecchio.* — [n] *a parte*, C. M.; *ex parte*, C. V.

[A] Primus hic patriarcha Constantinopolitanus fuit quidam Venetus, sed a Cl. Muratorio vocatur *Thomas Maurocenus*, Vide *Annal. Ital.* ad an. 1204.

[B] Hoc accedit anno 1205, cum Andrianopolim, ut refert *Sicardus*, imperator oppugnaret.